

Schinemann:

De jure patris
in filiam
ap. v. s. k. m.





Pr. 32. Num. 29.

M

S.D.

VIRO

PERILLVSTRI ATQVE MAGNIFICO
REINHOLDO FRIDERICO
DE SAHME,

SUPREMI IN BORUSSIA TRIBVNALIS CONSILIARIO, CONSTORII SAMBIENSIS PRAESIDI, ACADEMIAE DIRECTORI ET CANCELLARIO, FACVLTATIS IVRIDICAE PRIMARIO.

NVPTIAS

He 1206^b

FILIAE SECVNDO GENITAE CARISSIMAE

MVLTI CORPORIS, INGENII, VIRTVTIS ARTIVMQVE DOTIBVS ORNATISSIMAE.

EA QVA DECET MENTIS SVBMISSIONE ET SINCERITATE

GRATVLATVR,

JOH. FRID. SCHINEMANN,

REG. BOR.

DE IURE PATRIS IN FILIAM SPONSAM

PAVCA PRAEFATVS.

ANNO MDCCXXXV. INITIO MENSIS OCTOBRI.



HALÆ MAGDEBVRGICAE.

LITTERIS LEHMANNIANIS.

9 246

VIRO

FRANCISCO ATOVE MANSINICO

REINOLDO FRIDERICO

DE SAHNE

STRAHE IN DER KUNST DER KUNSTLEHRE
VON SAHNEKUNSTEN, ACHTSTUNDE
VON SAHNEKUNSTEN, ACHTSTUNDE

IN PARS

ELIAS SEVINDO GENITA CARISSIMA

IN PARS GENITA CARISSIMA
VON SAHNEKUNSTEN, ACHTSTUNDE

IN PARS GENITA CARISSIMA
VON SAHNEKUNSTEN, ACHTSTUNDE

JOH. FRID. SCHNEIDER

DE JURE PATRIS IN FILIAM SPONSAM

FRANCISCO ATOVE MANSINICO

ANNO 1800

FRANCISCO ATOVE MANSINICO

FRANCISCO ATOVE MANSINICO



VIR PERILLVSTRIS ATQVE MAGNIFICE,



quod beneficium a benigniori jure quibusdam personis concessum reperimus, ut ne in plus conveniri vel condemnari queant, quam in quantum facere possunt, (a) hoc mihi, si cuiquam alii, hisce circumstantiis, in hac mea erga TE, Tuaque merita, VIR MAGNIFICE, obligatione, in hac gratulandi necessitate, commodo cedit. Prohibent illa, quae nominavi jura, ad peram usque et saccum exsequi illos, a quibus ob cognationem propinquam, ob militiam, ob miseriam, aliasque justas causas, integrum debitum postulari non potest, usque eo, ut secundum verba Ulpiani, (b) non modo non totum, quod habent, ipsis extorquendum sit, sed et insuper personarum ejusmodi ratio haberi debeat, ne egeant: quod jus singulare illis qui jura docent, *Beneficii Competentiae* nomine venit. Quanti hoc beneficium pretii habendum sit, hac primum occasione non intelligo, non perspicio, sed experior; qui ab altera parte quantum TIBI VIR MAGNIFICE! quantum Illustri TVAE Familiae debeam, ex altera quam parum jam humeri valeant, quantumque ferre recusent, non sine indignatione intueor. Celebrantur nuptiae, Filiae, tot coeli dotibus, tot virtutibus ornatae, ut singulae singulis carminibus videantur praedicandae, atque haec ornatissima Virgo, ipsi Fratri, quem mihi natura dedit unicum, amantissimo thalami socia conceditur; Inofficium judicant Musae, quae TE VIR MAGNIFICE! Cancellarium, Fautorem, Promotorem venerantur, hisce gaudiis, suos hymnos non accinere; turpe judicatur vniquisque Nomini Salmiano addictus, hoc est, quisque bonus, hisce solemnibus, solemne illud *Jo!* feliciter! non acclamare: solus ego super-

):(2

(a) §. 26. Instit. de Aqion.

(b) L. 173. D. de reg. juris.

sum, qui nec obligatione, nec etiam inclinatione destitutus, sed viribus et animi et rectae valetudinis orbatas, parum certe abfuit, fere nihil communi gaudio attuliffem. Fatorum hic accusarent injuriam, quae non modo absentem me Vestrae laetitiae constituerunt, sed et mentem votis ac precibus repletam, nescio quo pondererent, quo minus se TIBI VIR Perillustri apertam sistere, suaeque obligationi satisfacere possit. In hac officii et infirmitatis contentione, spiritus revocat Contententiae Beneficium, quod me debitorem, debita quidem non negantem, sed legum favore suffultum, in plus condemnari vetat, quam in quantum facere possum. Accedit me TIBI VIR MAGNIFICE! tali Creditori debere, qui salva justitia de summo jure novit remittere, qui non modo amorem sapientia, sed et sapientiam amore moderare consuevit, qui superos imitans, mentem puram, non manus muneribus refertas respicit, qui bene novit, quantum jura absentibus, quantum aegrorantibus, quantum auxilio destitutis indulgeant. Hac fiducia motus, officio non quantum debeo sed quantum vires permittent satisfactorius, pauca de *Jure Patris in Filiam sponsam* differere, mecum constitui.

Videtur sane ille status Filiarum, quo quasi in medio, inter libertatem plenariam, ac officia conjugalia positae sunt, singularibus etiam juribus esse circumscriptus, quae partim ex paterna potestate fluunt, partim eandem limitant. Quemadmodum enim, non nostris modo legibus, sed jam antiquissimis Romanorum moribus certum est, Filiam per nuptias ex dura illa potestate Patris exire et in manum mariti convenire, quicquid etiam Thomaeus aliique contradixerint: ita etiam haud videtur posse negari, illam filiarum conditionem, in qua *Sponsae Sponsatae, vel Pactae aspellantur*, non a priori modo differre, in qua parentum dirioni subfuerunt, sed ab illa etiam, in qua mariti, vel si mavis intimi amoris legibus parent, Pertinet huc, ni fallor, Dicterium Ictorum, quod in prima hujus materiae tractatione edocemur: *Sponsalia esse instar venditionis, nuptias instar traditionis*. Facere igitur periculum, & quae jura Patri, in Filiam *sponsam* competant, levi penicillo adumbrare decrevi. Ac apud Romanos quidem, Filiae non fecus ac Filii, in plenaria patris potestate constitutae, et ad Familiam paulo melius, quam ancillae relatae, non poterant non ab ore paterno in omnibus dependere. Tantum ergo abest, vt absque hujus voluntate, sibi ipsis nuptias decernere potuerint, vt potius de ejusmodi matrimonio, quod absque consensu, imo absque jussu paterno, a Filio, Filiaque contractum, si de villo alio, valeat, quod Imperator ait (c): si qui adversus Le-

(c) § 12. Inst. de Nuptiis.

ges-

ges coeunt, nec Vir, nec vxor, nec nuptiae, nec matrimonium, (ac cer-
re nec sponsalia) nec dos intelligitur, adeoque nec liberi ex isto coitu
nati, in potestate sunt. Refero huc, patrem sponsalia filiae non eman-
cipatae, pro lubitu dissolvere, ac sponso nuntium remittere potuisse, vti
Ulpianus testatur (d). Neque ab hoc principio Nostra jura longe rece-
dunt, licet ad Naturam et aequitatem magis inclinantia, antiquum il-
lud Patris in Liberos dominium, plus vna derogatione limitaverint.
Vnde et nostrum jus Prutenicum, ejusmodi Personae, absque consensu
parentum sponsalia ineuntes, conjuges, jure tales, fieri posse negat,
eas *zusammen gelauffenes Gesindel* appellans, variis poenis arbitrariis in-
super coercendas. Primarium ergo vti in genere vtrique parenti, ita
in primis Patri jus esto, vt ab eius ore, ipse status sponsalitiuus (vt ita lo-
quar) Filiarum dependeat, vtillo dissentiente, ne sponsae quidem fieri
queant, tantum abest, vt sibi ipsis pro lubitu, sponfos maritosque pos-
sint eligere. Nec aestimandum est, jura ecclesiastica in materia nupti-
ali, civilibus praelata, hocce parentibus privilegium eripere voluisse,
dum Consistoriis facultatem largita sunt, paternum consensum certis in
casibus supplendi. Faciliores enim, ac in fortunam filiarum magis
attentos, efficere hoc ipso voluerunt Patres, ne absque sufficienti causa,
matrimonia liberorum honesta impediant, non vero, eorundem jus,
ipsa natura eis demandatum subruere. Imo et in dissolutione sponsali-
orum, licet et hanc, in favorem matrimonii, suae cognitioni subesse vo-
luerunt nostra iudicia Ecclesiastica, Patriae voluntatis rationem quam
maxime habendam esse, quis temere negaverit. Vti vero primum
quasi initium sponsaliorum a Patris arbitrio deriuandum, ita et vlti-
rius, ipsius plerumque voluntati iuste permissum est, cuiam prae a-
liis procis filia adulta socianda sit. Dubitari non potest, domesticam
Romanorum potestatem, filiabus duriores hoc in passu leges praec-
scripisse, quam nostri mores, et naturalis aequitas, ac publica etiam
salus iamjam tolerarent: dum enim illis permissum fuerat, liberos ex-
ponere, vendere, necare, et quoduis aliud, ipsis pro lubitu impone-
re jugum: quisquis dubitat fortem filiarum elocandarum, a patris
nutu totam dependisse? Cum vero postea durus ille liberorum status
Legibus benignis, magis magisque mitigatus fuerit, adeo vt Diocleriani
et Maximiniani temporibus, publice assumtum esset, liberam facul-
tatem contrahendi, et distrahendi matrimonii, ad necessitatem trans-
ferri non oportere: (e) Electionibus vel potius inclinationibus filiarum
honestis magis indultum est, ita tamen, vt cognitioni paternae semper
):(3 meri-

(d) L. 10. D. de spons.

(e) L. 14. C. de nupt.

meritoque manserint subjectae, locum nullum inuenturae, simulac Parentes, conditiones sponsi, Filiae rationibus inconuenientes, vel indecoras iudicauerint. Huc pertinere videtur, quod nouo iure iusta exhaeredationis causa habeatur, si Filia, quam Pater oblata dote, aliisque commodis honestioribus elocare voluit, meretriciam vitam legitimo thalamo praefert. (f) Inuenio etiam Imperatores, HONORIVM ET THEODOSIVM sanxisse, pacta quae NB. a patre de nuptiis Filiae inita fuerint, rata inter sponsum, sponsamque manere debere, licet Pater, humana forte consumptus, forte ad vota non potuit peruenire, addita ratione, ad hucdum valitura: quod plerumque ipsius feminae, etiam aduersus commoda propria videatur laborare consilium. (g) Tantum patris cognitionibus tribuendum voluerunt Augusti. A statu et qualitate sponсарum directionibus paternis subijcienda, ad bona deuenio, quae futuris maritis solent possuntque offerri, quaeque integra a parentum (si quidem hi superstites sunt) liberalitate et voluntate proficisci debere, vnusquisque intelligit. Est enim haec filiarum a filiorum iuribus differens conditio, vt neque per militiam neque per quasi militiam, peculia castrensia, vel quasi sibi acquirere possint, nihilque ipsis proprium remaneat, quam quod ex parentum liberalitate earundem administrationi potius, quam vsui concediturum est, dum et in peculio aduentitio (excipitur irregulare) iura parentibus vsu fructum largita sunt; Imo si paulo altius ascendimus, Lex Voconia Romanis mulieribus, praeter dotem, nihil ex paterna auitaque concessit haereditate, vt merito, sortem illarum deplorasses, nisi Legibus de dote promittenda, danda, dicenda, alia ratione ipsis fuisset prospectum. Licet vero dotem dare, vel promittere poterant omnes, etiam nulla cognatione conjuncti, (h) licet in quantitate ejus determinanda, conditio sponsi plerumque videbatur spectanda: (i) hoc tamen non obstat, quo minus totum hoc dotale negotium, ab arbitrio et directione patris, si adhuc in viuus esset, proficisci debere merito dicatur. Refero huc introducta inter dotem profectitiam et aduentitiam distinctione, illam, mortua in matrimonio muliere, ad patrem totam reuertisse, vel ad minimum, eius partem, si liberi fuerint relictii. (k) Si nostras leges, nostrosque mores in hac materia consulo, nulla remanet haesitatio, omne quod ad elocationem filiarum vilo modo referri potest, nisi ipsa jam ante sui iuris fuerit, vel aduentitia bona possideat, ex re, ex bonis, ex voluntate patris profluere debere. Instrumenta etiam publica, quae pactorum dotalium nomine, desuper concipi solent, Patris prae aliis cognitioni esse subijcenda

(f) Nov. CXV. Cap. III. (g) L. 8. C. de spons. (h) Vlpiani Fragm. VI. 2.
 (i) L. 60. 61. D. de iure Dot. (k) L. 59. D. solut. matrim. dos. quemad. per.

da, Et certe, cui melius & æquius quam patri deliberatio competet, vtrum communionem potius Culmensem, an pacta dotalia sibi, familiae, filiaeque elocandae, proficuum existimaverit. Hoc ergo iure & nos utimur, vt patris sit, filius de bonis sponfaliis atque nuptialibus prospicere.

Per nuptias Filiae omni & antiquo jam iure ex domo paterna in perpetuum dimittebantur. Patris ergo quam maxime videtur interesse, ne hanc iacturam ante tempus patiatur. Nascitur hinc facultas patri competens, diem nuptialem destinandi & præfiniendi, quo omnia, quae in filiam hactenus habuit, exercuitque iura, in manus generi quasi transmittit. Cum igitur per principia iuris, sponsus per nuptias ius in corpus Cajae suae consequitur, cui illud magis, quam socero acceptum ferre debere putaveris? atque ex hac causa, hocque respectu, patri disponatæ non titulus modo paternus, sed reverentia etiam, cultusque filialis, a genere licet sponso adhuc, iure meritoque debetur; quasi in compensationem carissimi muneris, quod in persona sponsae ipsi concreditum, & indubitatam restitutionem, eum in familiam dilectae, ejusque intimam cognationem esse receptum.

Addo his patri sponsae relictum esse, epulas nuptiales instruere, solemniaque hujus diei ordinare, quæ si Romanorum, sed magis, si antiquorum Germanorum consuetudines ad nostra usque sæcula, de manu in manum fideliter propagatas respicimus, non parum faciunt ad negotia gravissima corroboranda.

Pauca de publica benedictione adjicere liceat, sine qua nullæ nostri generis nuptiæ ex vulgari receptaque opinione possunt subsistere, quæque adoptatis Canonum ordinationibus, fere ad essentialia matrimoniorum videretur referenda. Ego certe is non sum, qui de hac vel Lege, vel consuetudine sententiam pronunciare auferim, imo si quis de illa iudicium requireret, non possum non, eandem tanquam honestam, vtilem, nostrisque moribus convenientissimam approbare; ast si dicendum, quod sentio, mihi quidem, quicquid in illa benedictione reale ac necessarium reperio, illud a patris potius votis, quam sacerdotis formulis videtur derivandum. Non necessum habeo, argumenta opinionis, longis ratiociniis adducere; ipsi Sacri Codices, omnibus sane, & civilibus & ecclesiasticis Legibus, longe majores & venerabiliores, sacerdotales benedictiones, quales nos habemus, plane ignorant, ast patrias non modo suo calculo sæpissime approbarunt, sed & exempla suppeditant, maxime laudanda & imitanda. Et sane cujus potius benedictionem, cujus preces, cujus vota sincera magis exoptaverim, quam illius a quo post Deum, fontem omnis boni, vel ipse vitam acceperim, vel saltem certissimum ac maxime dilectum paternæ fidei pignus. Hisce ex causis nullus dubito, patri in-

pri-

primis sponſæ jus benedicendi ineuntibus conjugibus, præ omnibus aliis vindicare. Experimur hinc quibusdam in locis, ubi vel propter religionem minus liberam, vel alia impedimenta, ordinaria benedictio sacerdotalis, locum invenire non poteſt, paternam eodem plane effectu, matrimonia efficere valida, publica, ſolemnia.

Hæc de jure paterno in filiam ſponſam leviter dicta ſufficiant. Superficiaria illa ſunt, ac operi ſubitaneo ſimillima, nec digna quæ conſpectum Tanti Viri ſubeant, tantum abeſt, ut limam, ut examen judicii graviffimi poſſent ſuſtinere; nec certe ea intentione compoſita, ut eruditionem debeant præ ſeferre, quæ cum omni tempore in me ſat fuit exigua, ita certe in præſenti, locum invenire nullum poteſt, ordinariis librorum ſubſidiis orbata, & multis adhuc pertinacis morbi acceſſionibus interrupta. Satis in me laudis, ſatis ſolatii ex leviffimis hiſce litteris, redundaffe arbitror, ſi a TE, VIR MAGNIFICE! quæ TUA ſemper fuit humanitas, æqui bonique fuerint conſultæ, ne plane officio meo, hæc occaſione videar deſuiſſe. Reſtat, ut Gratulationes incipiam. Aſt dum ad hæc mentem præparo, non gratulandi materia, nec formulæ copia deſtituor, ſed quid prius dicam, quid poſterius, in eo anceps dubiusque hæreo. Scio præterea, TIBI VIR Perilluſtris, Tuæque Domui, novis Conjugibus; addere licet, & meæ familiæ, tot felicitantium vota iri oblata, ut quod illis, quod etiam meis ſincerae mentis teſtificationibus, quas nuperrimis ad TE VIR MAGNIFICE litteris exprimere ſtudi, addam, ſere habeam nihil. Sufficiat publice hic atque ſolemniſter repetere, me pro TUA, VIR MAGNIFICE! incolumitate, quæ non poteſt non, omnibus bonis eſſe cariffima, pro TUÆ Familiæ Illuſtris & augmento & ornamento, pro novorum Conjugum, quos jam noſtros adpellare, felicia fata permittunt, proſperitate atque fortuna, pro omnibus, qui TIBI, qui TUIS bene cupiunt, ſincerrimas, nulloque ſuſco contaminatas preces fundere. Ego, quæ mea felicitas eſt, nec publice plane recitanda, Deum colo, mihi propitium, atque clementem, non certe ob merita, quæ in me nulla ſunt, ſed propter infinitam Ejus, quæ omnibus patet Gratiam; Huic ego me totum, measque vias, meamque fortunam, meaque deſideria conſecravi; Huic Summo Numini ego quotidie inter reliqua vota, & illa affero, ut SAHMIANÆ Domui bene ſit, ut novos Conjuges, nova quotidie benedictione, novis quotidie gaudiis velit cumulare; ut quæ Benigniſſima Sua Providentia ipsis Sapientiſſime decrevit, deſtinavitque fata, in Sui Nominis honorem, eorumque veram felicitatem vnicè cedant, ut ſolenne illud carmen: QVOD FELIX FAVSTVMQVE SIT, non in limite & ingreſſu thalami tantum, ſed & finita diurni temporis ſerie, ac perceptis omnibus felicis connubii frugibus, ipsis poſſit adclamari. TU VIR Perilluſtris atque Magnifice, me meoque ulteriori gratiæ & favore proſequi, nunquam quaero intermitras: Vale.

nr

He 1206^b

1018

ULB Halle

3

007 678 592





Pr. 32. Num. 29

M

VIRO
PERILLVSTRI ATQVE MAGNIFICO
REINHOLDO FRIDERICO
DE SAHME,

SUPREMI IN BORUSSIA TRIBVNALIS CONSILIARIO, CONSI-
STORII SAMBIENSIS PRAESIDI, ACADEMIAE DIRECTORI
ET CANCELLARIO, FACVLTATIS IVRIDICAE
PRIMARIO.

NVPTIAS

Ke 1206⁶

FILIAE SECVNDO GENITAE CARISSIMAE

MVLTI CORPORA, INGENII, VIRTVTIS ARTIVMQVE
DOTIBVS ORNATISSIMAE.

EA QVA DECET MENTIS SVBMISSIONE ET SINCERITATE

GRATVLATVR,

JOH. FRID. SCHINEMANN,

REG. BOR.

DE IURE PATRIS IN FILIAM SPONSAM

PAVCA PRAEFATVS.


ANNO LII CC XXXV. INITIO MENSIS OCTOBRI.



HALAE MAGDEBVRGICAE.

LITTERIS LEHMANNIANIS.

9, 246



B.I.G.

Farbkarte #13

Inches
Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black